

No. 301. 1291. 3. Sept.

B. Withego beurkundet die vom Domherrn Conrad von Boruz gemachte Stiftung einer neuen Vicarie in der Domkirche und genehmigt die hinsichtlich des Einkommens und der Obliegenheiten des Vicars getroffenen Bestimmungen.

Withego dei gratia Misnensis episcopus, Bernhardus praepositus, Siffridus decanus totumque eiusdem ecclesiae capitulum universis praesentem litteram inspecturis salutem in omnium salvatore. Iuris praecepta praecipua haec noscuntur: honeste vivere, alterum non laedere, ius suum cuique tribuere, ut quiete vivant homines et appetitus noxius limitetur. Rationis itaque interesse dinoscitur, ut quae piae devotionis affectu geruntur, sic enucliet, limitet et distinguat, ne ulla postmodum interveniente calumpnia deflorentur nec cuiquam iurgandi vel dissidendi materia tribuatur. Hinc est quod universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris cupimus esse notum, quod dominus Conradus dictus de Boruz, noster concanonicus et thesaurarius, de salute sua sollicitus cupiens summopere in ecclesia nostra numerum sacerdotum deo famulantium augmentare, ob reverentiam et honorem patronorum nostrorum beati Johannis apostoli et evangelistae sanctique Donati martyris, capellam super portam introitus nostri monasterii de novo constructam et in honore beati Johannis baptistae sanctorumque Johannis et Pauli martyrum consecratam accedente omnium nostrorum et singulorum consensu dotare decrevit et in ea de novo perpetuam vicariam instituere, quod et fecit, dotans capellam ipsam redditibus annotatis in villa Kagan^a), quae inter Lomatz et Misne sita est, quatuor talenta minus tribus solidis, quorum medietas in festo beatae Walpurgis dabitur, residua medietas in festo purificationis beatae virginis persolvetur; possessores vero bonorum qui sequuntur: Martinus de Plawenitz de duobus mansis duo talenta et quinque solidos, item de uno horto tres solidos Vribergensium denariorum cum dimidio schoco ovorum in pascha, item Petrus vicinus suus de uno manso viginti quatuor solidos cum dimidio schoco ovorum, item Rudegerus de mansis suis quinque solidos cum dimidio schoco ovorum solvere tenebuntur Vribergensium denariorum et in terminis supradictis. Item proprietatem unius talenti, quod a filiis sive heredibus domini Goltshalci Ovis comparavit, quod a nobis habuerant in theloneo nostro Misnae iure feodi, totius capituli nostri Misnensis accedente consensu dicto Conrado thesaurario dedimus, quod in festo beati Donati annis singulis persolvetur; item triginta duos modios siliginis et triginta duos modios avenae, qui dabuntur pro decima de sedecim mansis sitis in Wilandesdorf et in Grunbach^b) sua similiter pecunia comparatos, quorum proprietatem felicis recordationis episcopus Albertus quondam praedecessor noster sibi dedit et ecclesiae Misnensi, et nos damus primam donationem ratificantes plenissime. Praedicta omnia dictus thesaurarius memoratae vicariae sancti Johannis baptistae sanctorumque Johannis et Pauli martyrum plene et liberaliter resignavit et contulit una nobiscum purae proprietatis titulo possidenda, reservata sibi potestate dictam vicariam, quamdiu vixerit conferendi. Ipso vero de praesentis vitae medio evocato, quicumque decanus Misnensis pro tempore fuerit, ipsam

a) Gross- und Kleinkagen, Par. St. Afra. b) Wilsdruf und Grumbach.